BARTHOLOMAEUS DE MONTAGNANA

Salzburg, 1471 Seite 255v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



inobediens propter longitudinem
sue more in mineris, Premit-
tendum tercio quod licet hic mo-
dus minorandi multiplex ex-
istat tamen hic videtur mihi
sufficere procedendo cum hac
euacuatione · sex diuersis
instrumentis Et primo quidem
per flomiam, secundo vero per solu-
tiuam medicinam ebibitam, 3o
cum clisteribus, 4to cum apperi-
entibus venas emorroydales.
quinto cum prouocatiuis urine.
sexto et vltimo cum educenti-
bus materias a membris que magis
lesa sunt ¶ Et primum quidem
completur, Vt si representatur ple-
nitudo vlis, flometur vena
purpurea vel nigra sinistra
brachij per quam educatur sang-
winis ʒ iij vel iiij or Si autem
apparet repletio maior circa
epar tunc flometur basilica
inuenta sub cubito dextri bra-
chij. Et si fortassis maior vi-
deretur repletio circa partes
capitis sicut semper fuit in illo
tunc flometur cephalica apud
politem dextre manus inuenta
flomia enim ut plurimum in cura
cuiuscumque lepre est instrumentum
valde singulare quam plurimum
materierum in leprosis genera-
tur in venis ex adustione ma-
terierum ad quas nulla como-
dior est inuenta quam euacuatio.
Cum ergo materia in hoc domino
minorata fuerit aut non appa-
ruerit flomie necessitas Ad-
ministretur secundum instrumentum
scilicet farmacum melancolie conue-
nienter eductiuum, velut est
decoctio de epithimo auctore
omnium autorum approbata colligen-
da a Mesue in antidotario.
licet michi magis placeat.
decoctio scripta a Rasi nono
Almansoris capitulo de melancolia

de qua communiter tepida in au-
rora exhibeatur ab ʒ iiij or
vsque ad lb. 5. et tardetur post
ipsam assumptio cibi per sex
horas et parum post dormiendum
est, quia non est medicina
fortis, ¶ Tertium instrumentum
Si quis desideraret securiorem
et leuiorem medicinam accipere
accipiat istam Recipe polipodij
recentis. folliculorum sene con-
tritorum thimi epithimi. ana
ʒ i. mirabolanorum indorum ʒ
ij. aque lactis ʒ v. anisi ci-
namomi dauci macis ana ℈
5. puluerisentur omnia subtiliter
et infundantur in aquam lactis
calidam per diem naturalem, de-
inde in aurora calefiant et
exprimantur conuenienter, et
tota colatura exhibeatur.
obseruando post eam ut de
precedenti dictum est Si quis autem
abhominaretur potum farmaci
posset recipere pillulas istas quarum
descriptio est hec Recipe polipo-
dij. thimi epithimi grana v.
lapidis lazuli et lapidis.
armeni preparatorum ana ℈ 5.
anisi macis ʒʒ. ana grana ij.
salis indi grana iij. cum suco
rosarum, formentur pillule vij vel
octo, et exhibeantur omnes
¶ Quartum instrumentum de
communibus esset dare in potu
ʒ vi. electuarij dyasene
descripti a nicolao in Anti-
dotario cum ʒ iij. aque lactis.
caprini, et est medicina e-
lecta et secura ¶ Quintum
eductiuum melancolie predicte
minorando est hoc Recipe sene pre-
parate ʒ i. salis indi lapidis
lazuli et armeni ana gr. ij.
et detur in potu cum ciato 5.
aque lupulorum calefacte ¶
Sextum instrumentum melancolie educ-
tiuum quo nullum aliud elegan-
tius inueni, est ut patienti

Primum instrumentum.

Secundum instrumentum

Tertium instrumentum.

Quartum instrumentum

Quintum instrumentum

Sextum instrumentum